

tenentur etiam Christianorum filii. Secundo. *Christus mortuus est pro omnibus illis, qui in Adam peccaverunt*, juxta doctrinam *Apostoli*. Originale peccatum nisi per *Baptismum* dimitti non potest; nec enim illis prodesse potest *Sacramentum* penitentiae nam ii, qui foris sunt, non possunt *Ecclesiae Sacramenta* recipere; cum *Baptismus* janua sit omnium *Sacramentorum*. Vel igitur *Christianorum filii* in *Adam* non peccaverunt, nec pro illis mortuus est *Christus*, vel si in *Adam* peccaverunt, recipere debent ex absoluto *Christi* praecepto *Sacramentum Baptismi*, ut quod generatione attractum est, regeneratione mundetur. Tertio *Socinus, Ostorodius, Volchellius* existimant, non teneri *Baptismo* *Christianorum filios*, teneri *Ethnicos, Judaeos*, & uno verbo illos omnes, qui nullam *Religionem* amplexi sunt. Dicant vero adversarii, qui ex parentibus fidelibus nascuntur, habentne aliquam *Religionem*, an nullam? si aliquam habent, quanam porro haec est? *Christiana*? sed huic quomodo, & quando nomen dederunt? an parentum *Religio* ad filios cum sanguine manavit? sed ipsi asserunt, *Religionem* uniuscujusque propriam esse debere; fides enim, in qua totius *Religionis* aconomiam ponunt, a parentibus in filios cum sanguine manare non potest. Si nullam *Religionem* habent, ex hac ipsa ratione, evidens est, *Baptismi* praecepto etiam *Christianorum filios* teneri. IV. tandem in *Ecclesia Latina & Graeca* semper baptizati sunt *Christianorum filii*, rati parentes, sine *Baptismi* *Sacramento* filios aeternam salutem consequi non potuisse, cujus consuetudinis originem & principium (juxta regulam *Coni lib. III. c. IV.*) cum nec ad summos *Pontifices*, nec ad *Concilia* referre possimus, conscimus plane, eam consuetudinem, & doctrinam ab *Apostolis*, qui *Servatoris nostri* mentem melius quam *Socinus, Ostorodius, & Volchellius* noverant, profectam esse.